

scriptam in cordibus, dicat non esse testamentum novum, ut Hieremias prædixit cap. 31. sed testamentum vetus, et omnia more suo invertat, atque confundat. Itaque præceptum charitatis, ut etiam fidei ad legem pertinet, Spiritus autem charitatis et fidei ad Evangelium. Sed de discrimine legis et Evangelii plura dicemus, cum controversiam de justitia operum et legis observatione tractabimus.

CAPUT V.

Formalem causam justificationis non esse justitiam Dei essentialem, ac divinam.

Secundus error Osiandri est, qui justificari hominem dixit per illam ipsam justitiam, qua Christus non ut homo, sed ut Deus essentialiter justus est. Refellitur hic error ab Apostolo ad Roman. iv. ubi ex proposito de justificatione disseritur; et apertissime demonstratur, justitiam, per quam justificamur, esse fidem, vivam videlicet et per dilectionem operantem; illam enim fidem Deus pro justitia habet; et quia Deus non fallitur; eadem fides vere justitia est, et justitia fidei nominatur: *Credenti*, inquit, *in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam*. Et infra: *Dicimus, quia reputata est Abrahamæ fides ad justitiam*. Et infra: *Signum accepit circumcisionis signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio, ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur et illis ad justitiam*. Et similia habentur ad Galat. iii: *Nos fide spem justitiæ expectamus; nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur* (1). Quod si fides per dilectionem operans, est illa justitia, per quam justificamur, certe non justificamur per justitiam Dei essentialem, nisi quis ita desipiat, ut fidem nostram justitiam Dei essentialem esse definiat.

Secundo, refellitur ex Augustino, qui sæpissime repetit et inculcat, nos justificari justitia Dei, non qua ille justus est, sed qua nos justos facit. Libro de spiritu et littera, cap. 9: « Sicut, inquit, fides Christi dicta est, non qua credit Christus, sic justitia Dei, non qua justus est Deus. » Et paulo ante: « Justitia Dei, non qua Deus justus est, sed qua induit hominem, dum justificat impium. » Et cap. 31. di-

(1) Gal. III, 6, 15.

cit, Justitiam, qua justificamur, dici justitiam Dei, sicut dicitur charitas Dei, qua Deum diligimus, et fides Dei, qua in eum credimus, et salus Dei, qua salvamur. Et in epist. 120. cap. 30: « Ignorantes, inquit, Dei justitiam, qua nos ejus gratia justus sumus, ut ipsa Dei justitia nos simus, cum juste vivimus credentes in eum, qui justificat impium, non illa, qua ipse justus est, æterna sua et incommutabili justitia ». Et in libro iii. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 7. « Non propterea, inquit, justitia Dei dicitur, quoniam Deus justus est, sed quia homini ex Deo ». Similia repetit in lib. de gratia et libero arbitrio cap. 12. et alibi sæpe.

Tertio, refellitur rationibus variis. Prima ratio. Justificatio præcedit inhabitationem Dei, non igitur homo justificatur per justitiam essentialem inhabitantem. Justificationem præcedere testatur Scriptura Sapient. i. ubi dicitur Spiritus sanctus non habitare in corpore subdito peccatis. Testatur item Augustinus in epist. 10. ad Sixtum: « Post remissionem, inquit, peccatorum, nisi mundatam domum habitet Spiritus sanctus, nonne cum aliis septem redit spiritus immundus. Ut autem in habitet Spiritus sanctus, nonne ubi vult spirat, et charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, non a nobis, sed a Spiritu sancto, qui datus est nobis? » Hic videmus, prius remitti peccata, et mundari domum, et ornari etiam charitate, ut in illa Spiritus sanctus habitare digatur.

Neque his repugnat, quod Spiritus sanctus prius dari videtur, quam charitas diffundi, cum ipse sit, qui eam diffundit, et peccata remittit. Nam, ut idem Augustinus ait serm. 11. de verbis Domini: a quo mundamur, accipiendo indulgentiam, ipsum accipimus habitatorem ad faciendam, augendam, perficiendamque justitiam. » Et in epist. 105. « Aliter adjuvat Spiritus nondum inhabitans, aliter inhabitans; adjuvat enim, ut efficiamur fideles, cum non inhabitat; cum vero inhabitat adjuvat jam fideles. Itaque purgat, et justificat, ut purgatos et justificatos inhabitet. » Et hoc idem aperte Scriptura: demonstrat, cum dicit ad Ephes. iv. Christum habitare per fidem in cordibus nostris. Et I Joan. iv. cum, qui manet in charitate, in Deo manere, et Deum in eo. Quia nimirum non habitat Deus in nobis, nisi fides charitasque præcedant. Inhabitatio igitur

Dei non facit justos, ut Osiander existimat, sed jam justificatos Deus inhabitans adjuvat (ut loquitur Augustinus) ad faciendam, augendam, perficiendamque justitiam.

Secunda ratio. Si essemus justus, justitia Dei essentiali nos inhabitante, essemus omnes æque justus atque ipse Christus. Nam ipse quoque non aliter justus esse posset, nisi per justitiam Dei essentialem, si Deus nullam justitiam acceptat, nisi suam essentialem, ut Osiander somniat. At Scriptura, Joan. i, disertis verbis testatur, nos omnes de plenitudine Christi accepisse; et ad Ephes. iv, unicuique nostrum dari gratiam secundum mensuram donationis Christi, non igitur justus sumus justitia illa essentiali, sed justitia creata, quæ major et minor esse, et sub certam mensuram cadere potest.

Tertia ratio. Scriptura docet aliquos homines vere esse justos, ut Noe, Genes. vi, Zachariam, Lucæ xi, Abel et multos alios, ad Hebræos xi. At non potest homo vere denominari a forma extrinsecus inhabitante, sed solum ab inhærente, alioqui enim, si satis est justitia in habitans, ut vere justus esse dicamur, cur non dicimur etiam immortales, æterni, beati, omnipotentes, cum immortalitas Dei, æternitas, beatitudo, omnipotentia et alia omnia ejus attributa non inhabitent? et cur non dicuntur omnes homines justus imo et omnes lapides, omnia ligna, omnia sidera, cur non recte dicentur, si inhabitatio Dei denominationem illam tribuere potest? Quamvis enim non inhabitet Deus omnia per fidem et charitatem, tamen per potentiam essentiam et præsentiam omnia prorsus inhabitat. Osiander autem non facit nos justos, quoniam per fidem et charitatem inhabitamur, sed quoniam a justitia essentiali simpliciter inhabitamur.

Quarta ratio. Si nullam justitiam Deus acceptat, nisi suam essentialem, ac propterea per illam nos inhabitat, ut justos efficiat; certe sequitur, ut Christi justitiam, qua is pro nobis Patri satisfacere patiendo et moriendo voluit, Deus non acceptet. Illa enim Christi justitia, justitia fuit creata, non divina et essentialis. Quod si Christi justitia Patri non satisfecit, quorsum ille carnem suscepit? quorsum tanta pati voluit? quorsum humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis? numquid ut tantis sumptibus nihil redimeret?

(1) Isai. LIII, 11; Rom. III, 25; V, 9.

At longe aliud nos docent Isaias et Paulus. Ille enim cap. LIII. scribit de Christo: *Justificavit ipse justus servus meus multos*. Et iste ad Rom. III. et V. *Reconciliatos* nos dicit, *Patri in sanguine filii sui* (1). Quid Apostolus Joannes? an non affirmat in epistola I. cap. i, sanguinem Christi mundare nos ab omni peccato? Et cap. II. Christum propitiationem esse pro peccatis totius mundi.

Denique, nihil frequentius omnis Scriptura testatur, quam Christi passionem et mortem, plenam, atque perfectam satisfactionem fuisse pro peccatis. Quare Osiandri sententia recipi non potest, nisi quis velit totum mysterium humanæ redemptionis et reconciliationis evertere.

Neque argumenta, quibus ille nititur, aliquid soliditatis habent. Præcipua sunt: quoniam B. Petrus in epist. II cap. i. scribit, nos effici divinæ consortes naturæ: et quia Deus non acceptat ullam justitiam, nisi suam. Sed apostolus Petrus non dicit, nos effici divinæ consortes naturæ per inhabitationem justitiæ essentialis. Hæc enim est glossa Osiandri, non sententia B. Petri.

Quomodo autem efficiamur divinæ consortes naturæ, indicat ipse idem, cum ait: « Ut per hæc efficiamur etc. ». Illud autem, « hæc », refert sententiam præcedentem, « Per quem nobis maxima et pretiosa promissa donavit ». Ubi nomine promissorum intelliguntur res promissæ, non ipsæ promissiones, non enim donantur promissiones proprie loquendo, sed dona, quæ fuerant promissa. Itaque donavit nobis Deus per Christi merita res maximas, et pretiosas, quas ante promiserat, et per hæc dona facti sumus divinæ consortes naturæ. Quoniam per hæc dona efficiamur filii Dei, et cohæredes Christi, et hoc modo participamus naturam Dei, quomodo filii participant naturam patris; unde est illud: *Ego dixi, Dei estis, et filii excelsi omnes*. Ubi dicuntur Dei, id est, divinæ consortes naturæ, qui Filii sunt Dei. Quæ sint autem dona, quæ nos filios Dei faciant, explicat Apostolus Joannes in epist. I. cap. II. cum ait: *Videte qualem charitatem dederit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, et simus*. Et cap. IV. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est*. Et ibidem: *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*. Et ipse B. Petrus ideo, posteaquam dixerat: *Ut divinæ efficiamini consortes natu-*

ræ, adjunxit, fugientes eam, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem (1). Nam cupiditati opponitur charitas, et qui per charitatis donum efficitur divinæ consors naturæ, hoc ipso fugit eam, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.

Fuit autem hoc donum promissum nobis a Deo, primum per prophetam Hieremiam cap. XXXI. *Dabo legem meam in cordibus eorum.* Et Ezechiel cap. XXXVI. *Dabo vobis carnem et spiritum meum ponam in medio vestri et faciam ut in præceptis meis ambuletis* (2). Deinde per ipsum Christum sæpissime Joan. XIV. et Actor. I. et alibi. Et de eodem dono promisso et dato loquitur Apostolus ad Rom. VIII. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus abba Pater* (3).

Quod vero attinet ad argumentum illud de acceptatione justitiæ, vel acceptare justitiam, est acceptare satisfactionem pro peccato; vel est approbare justitiam alicujus, tamquam veram et solidam, non simulatam et apparentem. Priore modo non acceptat quidem Deus in veram satisfactionem pro peccato, nisi justitiam infinitam; quoniam peccatum offensa est infinita: sed ut aliqua justitia sit infinita, id est, infiniti pretii et valoris, non est necesse, ut sit justitia Dei essentialis, sed satis est, ut sit justitia personæ infinitæ, qualis est Christus, Deus et homo. Itaque obedientia, passio et mors Filii Dei, quamvis in se et essentialiter fuerit creata et finita, tamen ratione personæ obedientis, patientis et morientis infinita fuit, et ex vero justitiæ rigore propitiatio fuit pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Posteriore modo acceptat Deus non solum justitiam infinitam, sed etiam finitam, modo vera sit justitia, non fucata.

Id autem ita esse, perspicuum est ex ipsius Dei testimonio. Nam ad Noe dicit Deus Genes. VII. *Te vidi justum coram me in generatione hac.* Et de Abel scribit Apostolus ad Hebr. XI. *Testimonium consecutus est, esse justus testimonium perhibente Deo operibus ejus* (4). Et certe si non acceptaret Deus justitiam, nisi suam essentialem, non vere diceret Apostolus Paulus II ad Timoth. ultim. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi in illa die justus judex, non solum*

autem mihi, sed etiam vis, qui diligunt adventum ejus (5).

Itaque viderit Osiander, in qua Scriptura repererit, a Deo non acceptari justitiam, nisi suam divinam et essentialem. Nos enim contrariam sententiam in omnibus divinis libris prædicari existimamus.

CAPUT VI.

Justificationem nostram non constare sola remissione peccatorum.

Tertius error Calvini erat, qui, quamvis cum Lutheranis agnoscat imputationem justitiæ Christi, et non imputationem peccatorum, et inchoatam etiam renovationem et sanctificationem: tamen contendit, ut supra ostendimus justificationem proprie in sola remissione, id est, non imputatione peccatorum positam esse; cum Lutherani in imputatione potius justitiæ Christi eam propriam esse contendant.

Refutavimus hunc errorem supra capite tertio, et refutabimus copiosius in lib. de justitia operum. Id enim potissimum Calvinus efficere conatur ut nulla sit justitia operum in hac vita. Nunc igitur id solum ex Scriptura, ex Augustino, et ex ratione probabimus, justificationem non consistere in sola remissione, peccatorum, sed etiam in interna renovatione ita ut ipsa renovatio justita dicenda sit, et non tantum justificationis effectus.

Primum igitur Apostolus Petrus ad Romanos IV. ita loquitur de Christo: *Qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (6). Hic Apostolus nomen justificationis tribuit potius renovationi internæ, quam remissioni peccatorum, ac per hoc docet justificationem non modo non constare sola remissione peccatorum, sed neque præcipue ea constare. Neque enim dubitari potest, quin Apostolus velit mortem Christi fuisse exemplar mortis peccatorum, id est, remissionis et deletionis peccatorum nostrorum; resurrectionem autem exemplar renovationis et regenerationis internæ, per quam in novitate vitæ ambulamus. Id enim explicat multis verbis in cap. 6, ubi etiam docet, Baptismi ceremoniam, qua mergimur in aquam et emergimus ex aqua repræsentare

(1) Joan. III, 1; ibid. IV, 7; II Pet. I, 4. — (2) Hier. XXXI, 33; Ezech. XXVI, 26. — (3) Rom. VIII, 15. — (4) Gen. VII, 1; Heb. XI, 4. — (5) II Tim. IV, 8. — (6) Rom., IV, 25.

Christi mortem et resurrectionem, et simul mortificationem vitiorum et novitatem vitæ.

Cum igitur Apostolus dicit, Christum traditum esse ad mortem, propter delicta nostra, videlicet remittenda, et resurrexisse propter justificationem nostram, id est, ut in vitæ novitate ambulemus, apertissime demonstrat in ipsa renovatione justificationem esse positam, alioqui dicere debuisset: Qui traditus est propter justificationem a peccatis, et resurrexit propter vitæ novitatem.

Est autem hoc loco breviter annotandum, mortem Christi, quæ pretium fuit redemptionis, non solum causam fuisse remissionis peccatorum, sed etiam internæ renovationis. Nam secundum Ecclesiæ Catholicæ doctrinam hæc duo separari nequeunt, cum una et eadem gratia per Christi meritum nobis infusa, atque nobis inhærens, et peccata deleat, et animam justitia exornet.

Sed quamvis hoc ita sit, tamen ad justificationem nostram non satis erat mors Christi, sed necessaria erat etiam resurrectio. Deus enim ita constituerat, ut primum Christus ipse glorificaretur; deinde, mitteretur Spiritus sanctus, Evangelium prædicaretur, gentes converterentur, et per fidem, et Sacramenta justificarentur: *Non erat* (inquit Joannes in Evangelio cap. VII) *Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Et Apostolus I ad Corinth. XV: *Si Christus non resurrexit, inanis est fides vestra, adhuc estis in peccatis vestris* (1). Itaque cum tam mors, quam resurrectio ad justificationem necessaria esset, potuisset B. Paulus utramque partem justificationis, id est, remissionem peccati, et donum renovationis tribuere morti Christi vel resurrectioni, sed maluit distinguere, et morti quidem tribuere remissionem peccati, resurrectioni autem renovationem propter similitudinem, quam habet extinctio peccati cum morte carnis, et renovatio spiritualis, cum resurrectione corporali.

Secundo, probatur idem ex cap. V. ad Romanos. Nam cum Apostolus ait ad Rom. V: *Sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam* (2); opponit justitiam peccato, et per justitiam intelligit internam renovationem, ex qua procedunt opera vitæ. Id enim requirit antithesis. Peccatum enim regnasse dicitur in mortem, quia operabatur opera mortifera, con-

tra igitur, gratia Dei regnare dicitur per justitiam in vitam, quia per justitiam infusam operabitur opera vitæ. Quod si renovatio interna, quæ est principium operum bonorum, recte vocatur justitia, procul dubio justificatio in illa renovatione, et non in sola peccatorum remissione constituenda erit.

Rursus idem probatur ex cap. VI. ad Romanos, ubi Apostolus dicit: *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo* (3). Docet enim in nobis esse justitiam loco peccati, et per justitiam intelligit aliquid inhærens, unde procedunt opera. Nam ideo dicit, nos esse ex mortuis viventes, et membra nostra esse debere arma justitiæ Dei, ut videlicet membris utamur ad opera justitiæ facienda ad gloriam Dei.

Quarto, idem probatur ex cap. VIII. ad Rom. ubi præter alia dicit Apostolus: *Spiritus vivit propter justificationem* (4). Vel (ut habent Græca) *Spiritus vita* (videlicet est) *propter justitiam.* Justificatio enim, si ve justitia, quæ facit vivere, et per hoc operari, non potest esse sola remissio peccati, sed aliquid internum et inhærens.

Quinto idem probatur ex cap. III. ad Galat. ubi cum Apostolus dicit: *Si data esset lex, quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia* (5), aperte demonstrat, justitiam, unde dicitur justificatio, esse aliquid, quod vitam animæ præbet, eamque in motu, et actione constituit.

Sexto, idem patet ex illo ad Ephes. IV. *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis* (6). Ubi renovari in spiritu explicat Apostolus per induere novum hominem, novum autem hominem appellat, creatum in justitia et sanctitate veritatis. Proinde renovationem, justitiam et sanctitatem vocat.

Quod autem ex Scripturis probavimus, longe adhuc facilius ex testimonio S. Augustini probari potest. Nam in epist. 105. ad Sixtum, ultra medium: « Nec quisquam, inquit, liberatur et justificatur, nisi gratia Dei per Jesum Christum dominum nostrum, non solum remissione peccatorum, sed prius ipsius inspiratione fidei, et timoris Dei impartito salubriter orationis affectu et effe-

(1) Joan. VII, 30; I Corinth. XV, 14. — (2) Rom. VI, 13. — (3) Rom. VI, 13. — (4) Rom. VIII, 10. — (5) Gal III, 21. — (6) Eph. IV, 23.

etu ». Item in Enchirid. cap. 52. « Quemadmodum, inquit, in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum, et quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera justificatio ». Ubi S. Augustinus Apostolum secutus, justificationis nomen tribuere maluit internæ renovationi quam remissioni peccatorum.

Item lib. I. de peccator. meritis et remiss. cap. 13. « Quid est, inquit, quod abundantiam gratiæ et justitiæ accipiunt, nisi quod non ei tantum peccato, in quo omnes peccaverunt, sed eis etiam, quæ addiderunt, gratia remissionis datur, eisque hominibus tanta justitia donatur, ut cum Adam consenserit ad peccatum suadenti, non cedant isti etiam cogenti ». An non apertissime hoc loco S. Augustinus præter remissionem peccatorum, ponit in homine justitiam, per quam divina præcepta, diabolo etiam tentante, ac pene ad prævaricandum cogente, custodiat ?

Item serm. 16. de verbis Apostoli : « Justificati sumus, inquit, sed ipsa justitia cum proficimus crescit ». At remissio peccatorum non proprie dicitur crescere, sed virtus fidei, spei et charitatis, ipsa est justitia, quæ cum proficimus crescit, et eodem loco fusius idem Doctor exponit.

Denique in libro de spiritu et litera cap. 17 : « Ibi lex, inquit, extrinsecus posita est, qua injusti terrerentur, hic intrinsecus data est, qua justificarentur ». Quo loco dicit, hominem justificari per legem scriptam in cordibus, quæ ut ipse ibidem explicat, nihil est aliud, nisi charitas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Itaque de sententia S. Augustini nulla omnino relinquatur dubitatio.

Accedat ad hæc testimonia ratio naturalis. Nam justificatio sine dubio motus quidam est de peccato ad justitiam, et nomen accipit a termino, ad quem ducit, ut omnes alii similes motus, illuminatio, calefactio, et cæteri : non igitur potest intelligi vera justificatio, nisi aliqua præter remissionem peccati, justitia acquiratur. Quemadmodum nec vera erit illuminatio, nec vera calefactio, si tenebris fugatis, vel frigore depulso nulla, lux, nullusque calor in subjecto corpore subsequatur.

Deinde, justificatio non ideo solum nobis confertur a Deo, ut gehennæ penas evada-

mus, sed etiam ut præmia vitæ cœlestis acquiramus : id quod significavit Apostolus ad Rom. VI. cum ait : *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam*. Et cap. VIII : *Quos prædestinavit, hos vocavit; quos vocavit, hos justificavit; quos justificavit, hos et magnificavit*, ubi ponitur magnificatio effectus justificationis, sicut est ipsa justificatio vocatio nis, et vocatio prædestinationis effectus. Quo etiam pertinet illud II ad Timot. ult. *Reposita est mihi corona justitiæ* (1). At certe sola remissio peccatorum liberat a pœna, non tribuit gloriam. Quod ipsum quotidie in forensi judicio videmus. Qui enim a iudice absolvuntur, eripiuntur a morte, sed non consequuntur nova præmia propter hoc solum, quod judicentur non fuisse, aut non esse rei.

Denique justificatio ex inimicis facit amicos, filios, dilectos, cives Sanctorum, domesticos Dei, hæredes regni, ut Scripturæ passim loquuntur : non igitur sola remissione peccatorum constat, sed et infusione virtutum, ob quas homo dignus tam insignibus appellationibus habeatur. Non enim dignus est amore aliquis ob hoc solum, quod ei debita condonata sunt, cum ea dissolvere non posset. Neque continuo efficitur filius, aut civis, aut domesticus, aut hæres, qui pœnam, cui juste adjudicatus erat, iudicii clementia non subibit.

Argumenta quæ pro sententia sua Calvinus excogitavit, in extrema disputatione cum argumentis aliorum hæreticorum commo- dius diluuntur.

CAPUT VII.

Justificationem non consistere in imputatione justitiæ Christi.

Quartus et quintus error, et qui plures assertores habent, in imputatione justitiæ Christi justificationem constituunt, quasi videlicet nos justis coram Deo, quoniam tegit nos Christus justitia sua, et eo modo tectos Deus nos videns, pro justis se habere prononciat.

Omittam autem ineptias, nugasque Kemnitii, qui nesciens quid loquatur, nequè de quibus affirmet, dicit, vocabulum imputa-

tionis esse relativum, et fundamentum quidem hujus relationis esse Christi justitiam; terminum autem, hominem credentem; alium terminum justitiam, seu beatitudinem; relationem ipsam, Dei misericordiam. Quia videlicet misericordia Dei imputat homini credenti justitiam Christi, ad justitiam et beatitudinem. Ita tribus verbis totam Aristotelis doctrinam de relationibus subtilissima hac disputatione Kemnitius noster evertit. Et quid mirum, si temeritas horum hominum tot monstra pariat in doctrina supernaturali, cum in rebus philosophicis, et ab ipsis Ethnicis tam luculenter expositis, ita delirent? Certe si misericordia Dei relatio est, quia justitiam Christi credentibus imputat; Philemon quoque relatio erit, quoniam illi scribit Apostolus, ut sibi imputet debitum Onesimi. Sed nolo, ut dixi, cum Kemnitio ineptire.

Primum igitur satis refutatur error adversariorum, quod nullum in Scripturis, aut patribus, testimonium habeat. Hactenus enim nullum omnino locum invenire poterunt, ubi legeretur, Christi justitiam nobis imputari ad justitiam; vel nos justos esse per Christi justitiam nobis imputatam. Legimus quidem, beatum esse, cui non imputantur peccata; et fidem reputari ad justitiam, et Christum factum esse nobis a Deo sapientiam, justitiam et redemptionem. Sed sicut non legimus, nobis imputari redemptionem Christi, aut sapientiam, quasi non redemptores haberi debeamus humani generis, vel ipsum Dei verbum etsapientiam, ita non legimus, nobis Christi justitiam imputari.

« At, inquit Kemnitius, Concilium Tridentinum non abhorret ab hoc modo loquendi. Cum enim in sexta sessione, canon. 11. negat, nos justificari sola imputatione justitiæ Christi, concedit, non justificari imputatione justitiæ Christi, sed non sola ».

Respondeo : Concilium Tridentinum in illo canone damnare voluit errorem illorum, qui dicunt, sola imputatione justitiæ Christi hominem justificari, quales sunt Lutherani; sed non propterea approbavit idem Concilium errorem aliorum, qui dicunt, hominem justificari partim renovatione interna, partim imputatione justitiæ Christi. Nam ex sententia ejusdem Concilii, non justificari hominem formaliter per justitiam Christi

ullo modo, habetur expresse in can. 10.

Secundo, refutatur idem error ex eo, quod nulla necessitas ejusmodi imputationis adferri potest. Nam si necessaria esset imputatio ista, ideo potissimum necessaria esset, quod homo post remissionem peccati adhuc sit vere peccator, peccato videlicet tecto, non deleto. At ista necessitatis causa locum non habet, nisi quis Scripturarum evidentissimis testimoniis repugnare velit. Scriptura siquidem utitur omni genere vocabulorum, quæ excogitari poterant ad veram peccati remissionem significandam, ut si quis de industria quærat vocabula, quibus perspicue declaret, peccatum aliquod vere tolli et aboleri; non possit aliquod reperire, quod ipsa Scriptura divina ante non occupaverit.

Dicit enim peccata tolli, I. Paralipomenon XXI. *Obsecro, domine, aufer iniquitatem servi tui*. Dicit deleri, Isaïæ XLIV. *Delevi, ut nubem, iniquitates tuas, et quasi nebulam, peccata tua*. Ubi similitudo nobis, et nebulae indicat, ne vestigium quidem veræ culpæ remanere. Dicit mundari, Ezechielis XXXVI. *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Dicit ablui, Psalm. L. *Asperges me Domine, hyssopo, et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor*. Ubi etiam obiter comparatio illa notanda est, *super nivem dealbabor*. Quomodo enim super nivem dealbatur, a quo nihil omnino nigredinis, et sordium aufertur? Dicit purgari, Proverbior. XV. *Per misericordiam et fidem, purgantur peccata*. Dicit removeri a nobis, et longissime projici, Psalm. CII. *Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras*. Et Micheæ VII. *Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra*. Dicit denique peccatum fuisse, et non esse, Psalm. X. *Quæretur peccatum illius, et non inveniuntur*, Cantic. IV. *Tota pulchra es, et macula non est in te* (1).

Nec solum in Testamento veteri, sed etiam in novo, phrases ejusmodi frequentantur. Joan. I. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollis peccata mundi*. Actorum. III. *Convertimini, ut detean- tur peccata vestra*. I Joan. I. *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato*. Actorum XXII. *Ablue peccata tua, invocato nomine ipsius*. Hebræor. I. *Peccatorum purgationem faciens*.

(1) I Paral. XI, 8; Is. XLIV, 22; Ezech. XXXVI, 25; Psal. L, 9; Prov. XV, 28; Ps. CII, 12; Mich. VII, 19; Psal. X, 15; Cant. IV, 7.

(1) Rom. VI, 22; ibid. VIII, 30; II Tim. IV, 8,